DE

TYPHI HYDROTHERAPIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS JOANNES LUDOV. ERNESTUS DE SCHEVEN

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

R. REGER, MED. ET CHIR. DR.

G. BUSSE, MED. ET CHIR. DR.

R. MARQUARDT, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

VIRO

SUMME REVERENDO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

ALVINO THEODORO SCHENK,

RERUM SACRARUM ANTISTITI, SACERDOTI

PRAECEPTORI MAXIMI AESTUMANDO

AC

VIRO EXPERIENTISSIMO, HUMANISSIMO

GUILELMO HOLTZ,

PRAEDII EQUESTRIS POSSESSORI

AMITINO OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

OFFERT

AUCTOR.

DE TYPHI HYDROTHERAPIA.

I. HYDROTHERAPIAE HISTORIA.

Jam antiquissimis temporibus, quanta sit aquae vis medicatrix, notum erat, nam a Scythis, Hebraeis, Medis eam permagni aestimatam esse traditum est. Hippocrates autem primus certos morbos, in quibus aqua praecipue prosit, praeclaris operibus proposuit, quippe aquam ait adhibendam esse ad morbos externos, ad haemorrhagias, ad inflammationes, ad erysipelas. Post illum Celsus ea utebatur ad bonam purulentationem servandam; Aetius eandem in laesionibus externis, in cerebri inflammatione, in animi syncope, in dysenteria, in rheumatismo admodum commendat. Quo tamen auctore mortuo hydrotherapia omnino neglecta est usque ad quintum saeculum, quo saeculo Itali et Francogalli aquam unicum semperque salutare remedium ad morbos externos, praesertim ad laesiones, ad vulnerationes, ad ulcera adhibere inceperunt. Etiam in Britannia admodum comprobabatur hydrotherapia. Haukoke aquam optimum remedium, quo sudores commoveri possint, perquam laudans, ex sua ipsius experientia omnes fere morbos febriculosos aquae cedere dicit, vel imprimis ea in scarlatina, in rubeolis, in variola febrim valde temperari.

In Germania autem aqua non eodem modo, quo in Britannia approbata est, hic tamen primum ad gravissimum ac periculosissimum morbum, ad typhum curandum adhibita est. Quum Vratislaviae ineunte anno millesimo septingentesimo tricesimo septimo epidemia typhosa aliquamdiu horribili modo grassaretur atque saeva necessitas ad summam miseriam pervenisset, maxime propterea quod omnia medicorum remedia, quibus tum utebantur, sine ullo eventu essent, Hahn, medicus ille summa laude dignissimus, hac necessitate commotus, quantum aqua frigida ad corporis partes externas applicata valeret, experiri constituit, quod experimentum prospero successu comprobatum est. Eum in typho curando doctissimus Wright secutus, quum in Indiam occidentalem navigaret et in nave typhus erupisset, se ipsum et socios navales revalescentes vidit. Qua re audita etiam Currie in nosocomio Liverpooliensi hanc medendi viam apud multos typho affectos iniit, quo factum est, ut, quum diligentissime animum ad hoc genus morborum intenderet, certas quasdam rationes, quibus aqua adhibenda sit, proferret.

Postquam vero antea in hydrotherapia praecipue typhi, ut magnum calorem removerent, medici hydropathici operam dederunt, Priessnitz hoc nostro tempore cum removendo ardore, tum sudore movendo typhum ad crisin adigere studuit, ut hydrotherapiae duae methodi, altera Curriana, altera Priessnitziana ad typhum sanandum exsisterent. Eorum, qui rationem Priessnitzianam probant, princeps est doctissimus Hallmann,

partes autem Currianas maxime Brandt, medicus ille Sedinensis, sectatur atque defendit. Cum utriusque auctoris opera diligenter pertractans caussas, quae in utramque partem afferri possint, accurate animo meo volutassem, fieri non posse mihi visum est, ut per sudorem artificio quodum motum virus typhosum recta via, id quod Priessnitz petit, ex corpore removeatur, etsi natura saepius hoc modo virus typhosum sejungit. Praeterea quodcunque remedium in typhi decursu adhibetur, quo sudores excitentur, ut aegrotus propter necessariam commotionem in graviorem morbi statum incidat, efficitur. Quibus caussis commotus equidem rationem illam Currianam praefero, praesertim cum haec multo plures eventus prosperos habuerit. Itaque doctissimum Brandt auctorem hac dissertatione, neque Hallmann sequar.

II. DE VARIIS AQUAE ADHIBENDAE METHODIS.

a) Epithemata frigida.

Primum equidem de variis formis, quibus aqua sit adhibenda, disseram. Principio epithemata frigida summi momenti sunt, quae recte et accurate applicentur necesse est. Ad epithemata utimur crasso linteo, quod quater complicatum, tamen satis leve ac flexibile est, ut in omnes corporis partes accurate imponi possit. Hoc immergitur in aquam frigidam, quo facto humore quam maxime exprimendo privatur. Epithema tam magnum sit necesse est, ut a clavicula usque ad flexuras crurales pertinens vel latera trunci operiat. Deinde perpetuo sine intervallo adhibendum

et in morbi acme quarta quaque horae parte mutandum est. Qua in re ne corpus aegroti diutius retegatur, cavendum est ob perfrictionem imminentem. Quodsi pectus et abdomen non magis quam mediocrem teporem praebent, persuasum habere possumus, a nobis epithema recto et idoneo modo adhibitum esse. Cum primum melior patientis valetudo adesse videtur, paullatim minora epithemata, ut postremo solum abdomen tegatur, imponantur. Interdum etiam necessarium esse videtur, ut capiti epithemata applicentur. Tum epithema accuratissime parti capitis capillatae imponi ac saepe cum perfrigido mutari opus est. Multo magis consilium nostrum impetramus, si crines antea desecantur. Glacies quidem in capite collocata ob nimium frigus non semper videtur sine incommodo sustineri posse.

b) Lavationes.

Ad lavationes aqua VIII vel IX graduum R. adhibetur. Manu aut spongiis uvidis et dorsum et corporis latera et crura tam saepe, quam sicca et calida fiunt, tinguuntur. Ante omnia faciem saepe lavari oportet.

c) Humidae involutiones.

Tertio genere, quo aqua adhibetur, humidis involutionibus utendum est. Linteum in frigidam aquam putealem immersum, dein humore privatum, non nimis subtile super lectum expanditur, in quo aeger nudus impositus ita implicatur, ut caput solum inopertum sit. Quo facto velamento laneo, jam antea super lectum expanso ab utroque latere leviter integitur.

Tum brevi tempore peracto ex velamento elatus in alium ac purum lectum transfertur.

d) Balnea dimidiata.

Ad balnea dimidiata, (quae nos dicimus *Halbbäder)* utimur lato quidem, sed quam maxime humili alveo, qui digitos quinque aqua XXIII graduum R. impletus juxta lectum aegroti statuitur. Qua in aqua nudus collocatus a tribus hominibus fortiter confricari ac teri debet.

e) Balnea completa (Vollbäder).

Majorem vim medicatricem habent balnea completa, quae praeterea a dimidiatis copia aquae differunt. In completis aegrotum tam diu manere opus est, donec effectus, quem volueris, appareat.

f) Superfusiones.

Saepissime cum lavationibus superfusiones, quae plerumque aqua frigida fiunt, conjunctae sunt, ita quidem, ut binis seu ternis minutis repetantur et sic applicentur, ut aqua maxime occiput et tergum inundet. Aquam tamen ex loco magnopere alto in aegrotum decidere opus non est. Corpus vero continuo leniter confricandum est. Simulac balnea vim desideratam in cerebri et nervorum affectionem exercuerunt, aegrotus postremo aqua frigidiore (octo vel decem graduum R.) superfusus ex balneo in lecto collocatur. Superfusiones autem etiam in alveo sicco fieri possunt. Quo consilio alvei fundus sicco linteo obtegitur, in quo cubans aeger statim et si opus est, iterum superfunditur. Ad ultimam superfusionem aquam paullo frigidiorem (octo graduum R.) adhibemus.

g) Frictiones humidae.

Postremo frictiones humidae commemorandae videntur. Ad eas instituendas linteum haud ita densum in aquam circiter novem graduum R. immersum, quod tam magnum est, quo corpus aegroti plane veletur, super sedem aliquam expanditur. In hac patiens collocatur et diligenter linteo uvido obtegitur, quo facto a custodibus pedes ejus et manus aequaliter ac fortiter fricantur et teruntur.

Brevi meminerim, aquam in morbis typhosis etiam potui optimam esse et interdum ad clysmata adhiberi.

III. DE HYDROTHERAPIAE INDICATIONIBUS.

Jam de indicationibus disputemus, quibus singulae formae hydrotherapiae, quas antea constituimus, adhibendae sint. Indicationes vero diversi sunt generis: et universales et speciales.

I. Adnicationes universales.

a) Indicatio animandi.

Prima indicatio universalis haec est, ut aegrotus excitetur et animetur, id quod optime fit frictionibus uvidis, lavationibus dimidiatis, superfusionibus et postea trituris. Haec primum eum effectum habent, ut et calorem deminuant et nervos periphericos excitent, unde incitamentum ad cerebrum medullamque spinalem pervenit. Quo efficitur, ut hae partes efficaces esse incipiant atque aegrotus ex apathia et animi defectu eripiatur. Tum simul organorum corporis fun-

ctiones redeunt. Hic optimum habet eventum cutis frictio uvido et aspero linteo, quod lenissime excitat. Calor quidem corporis non valde imminuitur. Plus jam efficiunt balnea dimidiata viginti aut viginti trium graduum R., in quibus aegrotus circiter quinque vel decem minutas manet. Hoc balneo corporis calor uno vel duobus gradibus minuitur, cerebrum et nervi sedantur, delirium et somnia disparent, patiens tranquillo et suavi somno opprimitur.

Maxime vero excitant ac recreant superfusiones aqua octo vel decem graduum R. factae per horae partem octavam vel decimam, quippe maximam vim repentina et fortissima refrigeratione in cerebrum et medullam exercent, quorum anomalis functionibus et paralysibus medentur.

Attamen nequaquam nihil interesse putandum est, qua ratione hydropathica ad animandum utamur; omnino enim in morbi initio aegrotus majorem frigoris gradum facilius perferre potest quam postea, et quo ille debilior, eo majorem in eum vim habet frigus. Itaque magna debilitate praesente melius ablutionibus frigidis ac balneis dimidiatis quam superfusionibus multo fortioribus uti nobis videmur. Sin autem superfusionibus uti malis, aquam tepidam adhibeas.

b) Indicatio antifebrilis.

Secunda indicatio continetur calore corporis et pulsuum frequentia imminuendis. Hic quidem aptissimae videntur perfusiones sive solae sive in balneo dimidiato aut completo, quas fieri opus est eo tempore, quando febris exacerbescere incipit, non cum jam exacerbata

sit. Inter eos frigida in abdomen epithemata magna sunt utilitate.

c) Indicatio crisis effiiciendae.

Typhum ex contagio in sanguinem recepto oriri, quod sanatione excernendum sit, existimantes nos id agere oportet, ut maxime eorum organorum, quae res deleterias ex sanguine excernere solent, vis atque effectus servetur et excitetur. Virchow enim morbi crisin adjuvari putat excitatione ejus organi, per quod crisis efficiatur. In morbis vero typhosis, si ad eos sanandos hydrotherapia utimur, praecipue cutis materias criticas excernit, quapropter ejus functio, ut tertiae indicationi, quam constituimus, satisfaciamus. ad summum gradum excitanda est. idque optime per confricationes fortissimas in balneo et per trituras uvidas. Quas res ad finem propositum maxime esse idoneas cutis rubefacta et exanthemata celerrime exorta demonstrant, quae in morbis exanthematicis videmus.

d) Indicatio toni corporis augendi.

Denique attenuatae corporis vires, nervorum et musculorum robur deminutum hydrotherapiam postulant, quae tonum auget et tum maxime indicata est, quando febris remisit. Hic saepissime balneis dimidiatis utimur, quoniam maxime recreant, nec fortiorem quam aptum est in corpus vim exserunt.

B. Indicationes speciales.

a) Cura febris.

Ante omnia auxilium quam celerrimum febris requirit, quam tempore exacerbationum vincendam pu-

tamus. Itaque aegrotum, qua intensitate febris et ardor est, duobus madidis linteis temperaturae decem aut quinque graduum R. fricamus et super caput nudum vitriculum aquae infundimus. Exinde fricandus ac tenendus est. Quo facto non siccatus in lecto reponitur, corpus uvido epithemate obtectus. Cum pedes frigescunt, calidis stragulis laneis diligenter involvantur. Tum aegroto requies concedatur. Hac curatione post meridiem quarta hora suscepta febris ad vesperam augebitur. Quam ob rem, ut eadem cura saepius suscipiatur, suadendum est, ut aegrotus sopiatur. Si idem per noctem quiete fructus, neque systema vasorum atque nervorum perturbatum est, mane eadem continuatur cura. Si vero secundo eventu caruit, aeger proxima exacerbatione vespertina severiorem curationem subeat necesse est. Quam ob causam eum duplice linteo uvidissimo (8° R.) intra spatium semihorae involvimus atque tum perfusione aquae frigidae adhibita in lecto reponimus. Nihilo minus epithemata frigida applicantur tali modo, ut semper semihora intermissa restaurentur. Nisi ita inquies atque insomnia per noctem opprimantur, patientem iterum involvi opus est. Mane vero linteo frigido semel modo teritur. Diligenter nobis febrim considerantibus mox exacerbationes et primarias et secundarias *(Haupt- und Neben-exacerbationen)* ante oculos ponentur. In majoribus exacerbationibus aegrotum magis frigescere quam in minoribus liquet. Itaque aqua frigidior (12° R.) adhibenda atque lavatio, quae alias modo quinque minutis et temperatura quattuordecim graduum est, diutius

(decem minutis) sustineri debet. Quodsi exacerbationes non perspicuae, neque tam saepe aut rite fiunt et ita thermometro febrim paullatim cedere animadvertitur, cura sic commutanda est, ut aqua calidior (XVI — XXIII gr. R.), lavationes breviores (V—IV min.), neque tam saepe (bis vel ter quotidie) atque epithemata minora ac rariora fiant. Itaque febri sublata aegrotum lecto relicto serena tempestate sub divo versari licet.

b) Cura cerebri et nervorum.

Praeter febrim diligenter ea symptomata, quae proficiscuntur ex cerebro affecto, consideranda sunt, vel potissimum nimia ejus irritabilitas, perturbatio, insomnia, delirium, ubi plerumque temperatura capitis calidior esse videtur. Propterea medici est caput refrigerare, id quod quidem non facili negotio efficitur. Etenim quamvis saepe epithemata capiti imposueris, symptomata perniciosa minime sublata esse invenies. Quae sit caussa, nemo non cognoscet, qui phaenomena cerebri ex sanguine calido et viro morbi provenire sciat, quod utrumque neque creberrimis neque frigidissimis epithematibus capitis admodum tangitur. Ut cerebrum minus afficiatur, fieri non potest nisi universali curatione, qua totum corpus refrigeretur. Attamen ideo, quod cerebrum atque nervorum systema perfacile concitatur, non aqua nimis frigida adhibenda est, quare lavationes sint calidiores ac diutius sustineantur saepiusque fiant necesse est. Hic plurimum prosunt uvidae involutiones aut superfusiones in balneo dimidiato factae, sed praeterea caput saepius frigidiore aqua refrigerandum est.

Delirium versatile prae ceteris cerebri phaenomenis reperimus. Idcirco ne aeger omnino turbetur, cavendum est. Itaque superfusiones quidem calidiores ac rariores fiant, sed aqua per longius tempus adhibeatur. Maxime collaudanda est lavatio, quae quartam usque ad dimidiam horae partem tenet et viginti octo graduum R. est et qua totum corpus aqua circumluitur atque caput magis lavando quam perfundendo refrigeratur.

Eadem attenta curatione utamur, si peracta lavatione aegrotum frigora pernicioso modo occupant, qua re systema nervorum irritabilitate morbosa affectum esse indicatur. Mediocris frigoris caussa novae quidem lavationes non sunt negligendae, sed pedes linteis calidis involvendi sive ollis tepefaciendi sunt. Aegroto vero comatoso effectus localis cum in caput, tum in totam corporis superficiem frigidis perfusionibus, quae, si opus est, saepius iterentur, diligentissime adducendus est. Si convulsiones exsistunt, aegrotus summa quiete fruatur, neque nervi excitentur necesse est.

c) Cura organorum respirationis.

Omnium, qui typho inficiuntur, organa respiratoria perturbantur, quamquam hujus perturbationis gradus diversissimus est. Invenimus enim aut catarrhum tunicarum mucosarum, aut infiltrationem sive pneumonicam sive hypostaticam, aut gangraenam pulmonum, aut pleuritidem, aut exulcerationes laryngis. Quibus in morbis aquae usum crederes damnosum esse, cum perfrictio ceteris malis addatur, nisi usu et experientia illud refelleretur.

Catarrhus pulmonum si modicus exsistit, negligi potest; at vero si tussis maligna, dolores pectorales, dyspnoea aegrotum vexant, haec phaenomena ut minuamus, nobis laborandum est. Proinde madida epithemata pectori imponimus, quae quidem non saepius renovari licet. Quo facto dolores atque inclinatio ad tussiendum, angor pectoralis multo magis levantur quam decoctis mucilaginosis et potibus illis, qui ante commendabantur, quamquam non est, cur iis ad augendos hydrotherapiae effectus non utamur. Si catarrhus usque ad convalescentiam perstat, pilulae illae Heimianae maximo sunt commodo. Jam vero in exulcerationibus laryngeis curatio localis parum utilis est, nisi sanguinis mixtio simul emendetur. Periculosissima valetudine utitur aegrotus, si affectio illa ad cartilagines laryngis propagatur. Quod ubi fit et hydrotherapia et cura medicamentosa parum proficit, etsi illa, quam alteram dixi, melius adhibetur. Id saltem agere possumus, ut inflammationem sanguinis detractione locali per hirudines mitigemus. Praeterea diligenter lapide infernali usurpando sanatio effici potest. Pulmonum infiltratio hypostatica, si hydrotherapia utimur, minime timenda est, quoniam aegrotus saepius ex habitu apathico excutitur et movetur. Etiam ad versus pneumoniam crouposam epithemata madida et ad pectus et ad dorsum aegroti praeter universalem hydrotherapiam adhibeantur. Eadem tractatio in pulmonum gangraena multum conducit, namque humida epithemata ad pectus et dorsum applicata calorem angoremque minuunt et exspectorationem adjuvant.

d) Cura morborum ex tubo alimentaria oriundorum.

Labiorum, linguae, palati siccitatem posthabere possumus, cum propter meliorem febris oppressionem nunquam valde augeatur. Plane sufficit aquam frigidam bibere osque ea purgare. Stomatitidem et pharyngitidem diphthericas ut removeas, quae interdum in typho exstant, lavationes et purgationes oris fauciumque instituas. Quod nisi sufficit, cauterisationes actuales magno sunt commodo. Ubi vehemens dyspnoea exsistit, cum processus in laryngis partes inferiores propagatus sit, unum auxilium tracheotomia restat. At haec mala complicatio in typho rarius apparet. Saepius vero mala symptomata ex tractu intestinali prodeunt, quae sunt et meteorismus et diarrhoeae et obstructiones et haemorrhagiae et perforationes. Meteorismus quidem tam universali illa curatione, quam frigidis epithematibus fere ad gradum minorem descendit, in quo usque ad sanitatem recuperatam consistit. Ex mediocri porro tympanitide abdominali aegris non magnae molestiae evadunt; in majore autem cum magna debilitate tunicae muscularis conjuncta carbonem vegetabilem cum syrupo simplice mixtum praeter ceteras res auctore Scharlau, sive fomentationes ex oleo terebinthinae ad abdomen usque ad erythema auctore Traube adhibere licet. Satz etiam maximum meteorismum se saepe clysmatibus ex chloro curasse affirmat. Simili modo diarrhoeis mederi licet, quae si mediocres sunt, epithemata frigida omnino sufficiunt, quibus adhibitis illud malum mox tollitur. Quod quando non fit, ita ut vires conficiantur, diaeta robo-

rans ac praeterea vinum Hungaricum concedantur. Quae nisi talem effectum, qualem optamus, habent, diarrhoeae medicamentis adstringentibus coerceantur, acido tannico, plumbo acetico, alumine.

Haud raro fit, ut in typho diarrhoeae omnes deficiant atque e contrario obstipatio alvi reperiatur. Haec tamen auctore Traube aut vera aut imaginaria est. Imaginariam enim dicimus obstipationem, cum dejectiones, quamvis diarrhoea constet, propter motus peristaltici debilitatem non fiunt. Nunquam obstipationem persistere licet, qua novum incitamentum tunicae mucosae tractus intestinalis detur. Sin autem hydrotherapia universalis eam non tollit, clysmata ex aqua frigida certe utilitatem afferant.

e) Cura haemorrhagiarum.

Haud raro fit, ut jam in primo typhi stadio haemorrhagiae prodeant. Eaedem vero in normali morbi decursu non ante tertiam vel quartam hebdomadem cernuntur et vel tunicae mucosae hyperaemia, quo modo epistaxis et haemoptoe interdum in typho fiunt, vel vasorum corrosione adducuntur. Illae quidem haemorrhagiae, quae capillares vocantur et ex eo, quod sanguis cum faecibus prorsus commixtus est, aut ibi tantum singulis in locis rubras seu nigras maculas efficit, facile dignoscuntur, nec cum periculo junctae sunt, neque separatam quandam therapiam poscunt. Sin autem ulceribus intestinalibus majora vasa sunt corrosa, res aliter se habet. Tum haemorrhagiae, quae copiosae esse solent, magnam totius corporis debilitatem mox afferunt Eaedem ex permagna sangui-

nis copia, qua faeces rubrae et subalbicantes fiunt et magnus virium collapsus adducitur, etiam ab imperitis agnoscuntur. Illam ob causam epithemata frigida, ut ne abdomen tres vel quatuor dies incalescat, continuo applicantur. Praeterea autem aegrotum, quoad per ejus naturam liceat, cibo ac potu abstinere atque immobilem in dorso cubare jubeas. Unde sequitur, ut in balneo, cum quassationes ac motus corporis vitari non possint, aeger non sit ponendus. Thrombus recens formatus ne solvatur, motus peristaltici viscerum arcendi sunt. Itaque utilis est obstipatio per aliquot dies post haemorrhagiam persistens, quam, si res postulet, dosibus opii (gr. ß — i — ij horis alternis) efficias. Frigidis epithematibus adhibitis si sanguinis profluvia non sistuntur, medicamentis stypticis utimur, quorum e numero alumen, plumbum aceticum, alumen cum ferr. sulph. (Skoda) vel liquor ferri sesquichlorati in vehiculo mucilaginoso (solut. gummos., decoct. aeth.) auctore Frerichs laudanda sunt. Quo modo haemorrhagia feliciter devicta vires amissae restituendae sunt. Proinde praescribas diaetam roborantem, vinum similiaque, quorum optimum videtur emulsio chinata Schoenleinii. Paullatim autem, nonnullis balneis completis una cum aquae perfusionibus institutis, ad balnea dimidiata redimus.

f) Cura perforationis.

Simulatque ille symptomatum perforationis complexus cernitur, vehemens dolor subito natus, vomitus materiarum herbacearum, frigus conquassans, pulsus semper minor, frigus extremitatum, facies Hippocratica,

dubitari nequit, quin ulcera typhosa intestinalia perforationem adduxerint. Ad eam sanandam homo perforatione intestinali affectus, ne intestina dislocentur, in dorso cubet necesse est. Ac ne inflammatio perforatione orta in totum peritonaeum diffundatur, epithemata frigida ad abdomen adhibeantur. Cum autem extremitates inferiores frigidae sint et praeterea frigidis epithematibus refrigeratio totius corporis facile exoriri possit, ollas calefactas ad pedes applices et extremitates tepidis integumentis laneis diligenter obducas.

g) Cura morborum cutis.

Nunc quomodo illi morbi, qui ex cute proficiscuntur, sanandi sint, paucis exponamus. Furunculi quidem et abscessus humido epithemate, super quod linteum ceratum expanditur, ternis horis tegantur. Eos in trunco exstantes emplastro obtegente et emolliente optime sanamus. Apertionem furunculorum naturae ipsi permittentes abscessus mature incidimus beneque exprimimus et expressis per aliquod tempus cataplasmata imponimus.

Magni vero momenti medico est decubitum prohibere et exortum citissime sanare, quoniam saepius ex eo pericula aegrotis gravissima evadunt. Auctore Brand formas duas, quarum altera neglectione munditiae, altera infiltratione substantiarum necroticarum producitur, distinguimus. Prima forma in hydrotherapia, quia cutis aqua expurgatur, corroboratur ac situum mutationibus, quae in hydrotherapia saepissime fiunt, a periculo compressionis liberatur, facile vitatur. Ad

decubitum autem ex materiarum necroticarum infiltratione sanandum utimur cura varia. Ac primum quidem, ut materiae purulentae saepe eluantur, id quod in balneo egregie fieri potest, maxima diligentia impendenda est. Temporibus iis, quae inter lavationes singulas intercedunt, locum affectum tegimus medicamentis exfoliationem efficientibus (liquamine myrrhae, vino camphorato āā) eumque in coronis ponendo a pressione tutari studemus. In illa autem decubitus specie, in qua externe tantummodo parva cutis desquamatio videri potest, sub qua in tela cellulosa subcutanea plus minusve magna caverna jacet, quae parvo foramine cum externo vulnere juncta est, cutis longe lateque diffindi debet. Praeterea diaetam roborantem ordinamus, quoniam suppuratione vires mox consumuntur.

h) Cura parotitidis parenchymatosae.

Denique periculosissima morbi complicatio oritur ex parotitide parenchymatosa. Nam ea brevi tempore in suppurationem et gangraenam transiens tam celeriter, ut exitus lethalis immineat, in peripheriam propagatur. Propterea ut materiae putridae et purulentae quam citissime abducantur, incisiones, simulatque fluctuatio sentiri potest, fiant. Praeterea diaeta roborans instituatur.

Ceterum non raro aer in valetudinario malis exhalationibus vitiatur. Statim igitur post balnea fenestrae aperiendae sunt, etiam ipsa hieme, dum major temperaturae refrigeratio fornacibus melius calefactis vitatur, ut temperatura XIII vel XV graduum R. sit. Quae-

cunque auram vitiosam reddunt, celeriter amovenda sunt. Item aerem nimis humidum fieri exhalatione aquae non licet.

III. DE HYDROTHERAPIAE EFFECTU.

a) De effectu in temperaturam.

Jam de effectu, quem hydrotherapia in typhi symptomata et aegroti valetudinem exerceat, mihi dicendum est. Ante omnia morbi imago hydrotherapia plane immutatur, etenim illa duo febris stadia, quae Traube distinguit, non jam possunt cognosci. Illorum stadiorum primum est febris continuae. Hoc quidem tempore differentiae remissionis matutinae atque exacerbationis vespertinae plerumque unius tantum gradus sunt. Stadium secundum e primo aut continua exacerbatione provenit, aut brevi remissione ab eo sejungitur. Sed hydrotherapia ab initio morbi febris remittens redditur. Quam ob causam Brandt frequentibus observationibus innixus exacerbationes primarias ac secundarias *(Haupt- und Nebenexacerbationen)*, quarum illae in tempus ab X usque ad XI horam antemeridianam et a IV usque ad VI horam post meridiem, in paucis modo casibus in mediam noctem incidunt, magna cum intelligentia constituit. Eaedem exacerbationes celerrima temperaturae ascensione praecipue dignoscuntur. Praeterea medicus ille clarissimus aegroti statum commotiorem III—IV horis post balneum, cum vis lavationis cessare coepit, quam commotionem „exacerbationem secundariam“ vocavit, invenit ac descripsit. Quis est, qui dubitet, quin nullis remediis

totius corporis temperatura ita deminuatur nisi aqua frigida? Attamen non constat, eadem hydrotherapiae ratione temperaturam semper uno aut duobus gradibus R. imminui posse. Etsi paene nunquam fit, ut temperatura ad tantam altitudinem perveniat, in quanta esse solet, si typhum internis solum remediis sanare tentamus. Postquam per brevius longiusve tempus certamen inter febrim et therapiam exstitit, primae „exacerbationes secundariae" cessant et tum tandem non ita multo post exacerbationum primariarum numerus et impetus desinit. Itaque ex magna temperaturae altitudine, quippe quae in hydrotherapia nunquam magna oriatur, pericula virium consumptione cerebrique paralysi nullo pacto possunt evenire.

Pulsuum numerus post quodque balneum aliquot ictibus deminutus potea ad eam, quae in typhis benignis esse solet, normam sine periculo aegroti redit.

b) De effectu in cerebrum ac nervos.

Praeclarissima est hydrotherapiae vis in affectionem cerebri et nervorum. In levioribus enim typhi casibus haud multum abest, quin a viro morbi functionibus eorum perniciosissimo liberentur ac prorsus defendantur.

Itaque symptomata, quae ex cerebri alteratione proficiscuntur, patientibus minus periculosa, quamquam cura medicamentosa adhibita usque ad acmen accrescunt, primis lavationibus fiunt. In gravioribus vero casibus aut hydrotherapia sero instituta, postquam processus morbosus jam diu persitit, tranquillitatem ad-

ducere certe contigit. Deliria rarissime et solum tempore longiore post lavationem exacto per aliquot momenta reperimus. Furibunda vero deliria, ut aegri per vim in lecto retinendi sint, in hydrotherapia typhi sunt inaudita. Aegrotus enim, si vigilat, mentis suae plane compos, praesertium rerum particeps est, vota facit aut de incommoda sua valetudine queritur. Aegrum ex balneis exemtum semper verus, altus, tranquillus somnus cum profundis respirationibus et plane conniventibus oculis occupat, ita ut dicere possis, hac therapia adhibita aegrotum tres quadrantes temporis morbi dormire. Verumtamen hic somnus non comatosus habendus est, quia aeger ex somno facile exsuscitari potest. Nec unquam aegrotus e lecto labitur. Attamen parvus artuum tremor interdum apparet. Urina ac faeces tantum in casibus gravissimis ultro excidunt et ne id quidem unquam aegroto insciente. Retentio urinae nunquam animadvertitur. Eo minus functiones cerebri et medullae typho alterantur hydrotherapia adhibita!

c) *De effectu in morbos respiratorios.*

In hydrotherapia ipsa fit, ut catarrhus bronchialis ad tempus exstistat. Neque eum aqua prohibere neque celeriter sanare possumus, etsi, quoniam vires conservantur hac therapia, incitamentum tussis levatur ac sputorum expectoratio augetur. Qua de causa dyspnoea ex bronchiorum completione nunquam oritur. In pulmonibus vero, dummodo a morbi initio aqua impensa sit, nunquam infiltratio hypostatica, nunquam atelecta-

sis, nunquam pneumonia exstiterunt. Aqua enim propagatio catarrhi bronchialis prohiberi videtur.

d) De effectu in morbos tubi alimentarii.

Neque unquam fieri solet, ut labia, dentes, lingua sicca reddantur et nigris crustis tegantur, sed semper mollia sunt et humida, interdum autem linguae candida epidermidis strata imposita sunt. Neque unquam enteritis typhosa ita gravis est, ut vitae periculum afferat. Diarrhoeae enim mediocres esse solent, quae etiam, si ante nostram curam adhibitam profusae fuerint, celeriter coarcentur. Nutritus, quamquam deminutus, non plane jacet. Nam patiens libenter cibos sumere potest, ut meliore diaeta fruatur. Neque minus meteorisinus levis est; abdomen quidem molle et mox liberum a doloribus redditur. A gravioribus vero haemorrhagiis, tractus intestinalis perforationibus et peritonitide in iis typhi casibus, qui opportuno tempore in hydrotherapiam venerunt, vitae pericula nunquam imminuisse Brandt pro certo affirmat.

e) De effectu in morbos cutis.

Ratio integumenti communis cum relationibus ad organa interna, praecipue ad telas mucocas, in hydrotherapia summi est momenti. Huc maxime vim exercere hydrotherapia studemus. Itaque inde alia symptomata, quam ex therapia medicamentosa proficiscuntur et alia habent discrimina. In levi typhi decursu cutis, quae alias flagrantissima et siccissima esse solet, mollis, odora, subfrigida, subrubicunda,

humida hydrotherapiae vi redditur. In graviori autem decursu, quamquam tepidi sudores exsistunt, asperitas quaedam et siccitas animadvertuntur, quae in palmis et pedum plantis praecipue conspicuae, si praeter profusos sudores et furunculos et pustulas etiam permulti abscessus proveniunt, ad gradum altum accressunt. Signorum, quam salubris sit aqua in typho sanando, gravissima sunt pustulae ecthymatodes, parvi et magni furunculi, abscessus, quae symptomata semper tempore crisis morbi exsistere solent. Haec quidem Wunderlich loco perturbationum ducit, quibus ad morbum typhosum non pertinentibus decubitus facile efficitur. Contra Brandt illa crisis signa clarissima habet. Quod symptomatum intensitas, simulatque illa exstiterunt, defervescit, veras crises nominat. Quamobrem, quibus in casibus furunculi permulti exorti sint, celerem ac perfectam restitutionem in integrum exspectari posse pro certo affirmat. Decubitus vero ex pressione, cum cutis aqua corroboretur et purificetur atque tonus nervorum vasomotoriorum conservetur, raro videntur. Neque minus infrequentes sunt decubitus ex materiarum necroticarum infiltratione, quia sanguinis dissolutio febri opprimenda nunquam fit permagna.

DE AEGROTI VALETUDINE IN HYDROTHERAPIA.

Nunc mihi quaerendum est, num homo patiens libenter hydrotherapiam recipiat. Multos sane in initio hujus curae horrore occupari negari nequit. Goebel milites in nosocomio militari Luxemburgensi varia, quibus se hydrotherapiae subtracturos esse sperarent, si-

mulavisse, scriptis suis commemorat. Tametsi aegrotus, cum bonam hydrotherapiae vim in morbum cognoverit et se balneo adhibito recreatum ac quasi recens natum putet, mox tamen eidem consuescit. Sin autem frigus nullo modo sustinere potest, tepida balnea, quae cuique grata esse solent, tentanda sunt. Alius frigidiorem aquam, alius mediam temperaturam adhiberi mavult. Haud raro evenit, ut vel balnea dimidiata, vel frictiones melius perferantur. Aegrotus autem, ut in typhi cura medicamentosa aut excitatus aut delirans aut comatosus aut stupidus, ita aut rerum praesentium particeps aut tranquille dormiens aut a perturbatione liber jacet in hydrotherapia. Facies etiam typhomanica, quae morbo progrediente clarius videtur, in hac therapia cum singulis lavationibus e conspectu evolat et quo tempore eam floridam conspicere consuevimus, plane sublata est. Neque vires altiore gradu consumuntur, neque aegroto nimis longa convalescentia imminet. Itaque valido ac firmo corpore morbus ille gravissimus multo prius ac celerius superatur, ut prognosis aegroto longe prosperior sit. Imo etiam omnes homines typho affectos, siquidem opportuno tempore ad hydrotherapiam decurrant, semper sanari Brandt contendit.

IV. DE DIAETA.

Quod ad diaetam attinet, primis diebus homines inanitionem satis bene perpetiuntur, neque quidquam aliud necesse est, quam decocto avenaceo aut jusculo carnis vitulinae nutriantur. Sed posteriore tempore

necesse est ternis horis phialam lactis aut jusculi carnis, quibus vitella immiscenda sunt, praeberi. Simulatque autem exacerbationes decreverunt, paullatim et caute caro plane concisa et satis cocta, quo tempore patientes e lectulo surgere coeperunt, parvum frustum crudae pernae et mollis assi auctore Brandt concedantur. Praeterea magna cum utilitate vinum Hungaricum cochlearibus cum aqua saccharata mixtum ad cibos datur. Skoda ad valetudinem tractus intestinalis respiciens vinum rubrum commendat, cujus cochlearia duo una cum aqua binis horis praescribit. Quo modo fit, ut aegrotus viribus conservatis, postquam typhi processus decurrit, neque exinanitione neque debilitate pessum detur.

V. DE EFFECTUS PROSPERI INTERPRETATIONE.

Prosper aquae effectus perfacile intelligi potest. Typhum quidem viro quodam effici medici consentiunt. Id in organismum susceptum, postquam sanguinem dissolvit, summos temperaturae gradus corporis (usque ad XXXIII R. et ultra) revocavit atque in organismo sese reproduxit, tandem certo tempore (quatuor hebdomadibus) exactis e corpore excernitur. Per quod tempus necesse est, organismus viro suscepto et resistere et reproductionem novi viri prohibere possit. Traube tria dogmata, quibus nunc nitimur, constituit. (Deutsche Klinik. Febr. XI. 1860.) Ac primum quidem ait: „durch Erniedrigung der Temperatur wird die Erschöpfung des Nervensystems verhindert, da mit der Abkühlung die Aufregung abnimmt und Neigung zum Schlaf ein-

tritt." Nervorum enim fines peripherici calidissimo sanguine continuo circumluuntur. Hisce caussis exorta incitamenta ad cerebrum ac medullam spinalem, quae ad summam efficacitatem usque ad defatigationem ac paralysin stimulantur, nervis producuntur. Unde fit, ut faeces et urina aegroto invito saepe prolabantur ac stagnationes, quibus decubitus creantur, in vasis exsistant. Propter cerebri commotionem porro aeger dormire non potest, inquietus est, saepe etiam delirat, propter defatigationem valde comatosus jacet. Eodem etiam pertinet major numerus cordis actionum et respirationum. Frigida autem aqua impensa sanguinis temperatura valde refrigeratur. Hinc auctore Traube sequitur, ut nervi peripherici, medulla, cerebrum neque excitentur neque stimulentur. Quo modo fit, ut eorum functiones normales conserventur. Quum porro altissimae temperaturae incitamenta ad cordis actionem impediantur, illius paralysis timeri non debet. Namque, ut Traube experimentis satis confirmavit, „die Zahl der Herzcontractionen wächst mit der Temperatur und umgekehrt vermindert die Erniedrigung die Anzahl der Herzcontractionen." Jam supra quidem febrim ex sanguinis dissolutione evadere contendimus, sed ipsi etiam sanguinis dissolutioni, ut permanere possit, altiore temperatura opus est. Judice Traube sine dubio constat, „dass Temperaturerniedrigung die im Körper vor sich gehenden Zersetzungsprocesse ermässige. Die Wahrheit dieser Wirkung der Temperaturerniedrigung wird noch durch die bekannte Thatsache bestätigt, dass die Harnstoffausscheidung in fieberhaften Zuständen

wächst, was nichts anderes besagen will, als dass die Verbrennung der stickstoffhaltigen Körperbestandtheile im Fieber bedeutend zunimmt.“ Qua ratione intelligi potest, cur in hydrotherapia typhus prospere decurrat. Nam neque sanguinis dissolutio magnopere ingravescit neque novum venenum reproducitur.

VITA.

Natus sum Carolus Joannes Ludovicus Ernestus de Scheven Boblini, vico Pomeraniae, die XX mensis Januarii anni MDCCCXXXIX patre Friderico, matre Sophia e gente Roloff, quos parentes praematura morte mihi ereptos ex animo intimo lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in schola publica Julinensi imbutus gymnasium privatum, a Cel. Schenk, viro doctissimo, Julini conditum et postea gymnasium Cossalinense adii, quod tum Cel. Adler directore florebat. Ubi cum per quatuor annos in studia humanitatis incubuissem, testimonium maturitatis academicae adeptus ab Ill. Reichert decano in numerum civium instituti medico-chirurgici Friderici Guilelmi receptus sum. Deinde per octo semestria hisce scholis interfui

Philosophicis: Ill. Braun de botanice; Ill. Dove de physice; Beat. E. Mitscherlich de chemia anorganica; Ill. Peters de zoologia; Ill. G. Rose de mineralogia; Exp. Son-

nenschein de chemia organica, de pharmacia, de chemia forensi; Cel. Werder de logice et psychologia.

Medicis: Cel. de Baerensprung de morbis syphiliticis, de morbis cutaneis, de febribus exanthematicis; Cel. Boehm de aciurgia, de morbis dentium, de ophthalmologia; Beat. Casper de medicina forensi, de arte formulas medicas concinnandi; Ill. du Bois-Reymond de physiologia et de diffusione, Exp. Elsholtz de morbis simulatis et dissimulatis, de tironum delectu; Exp. Erhardt de otiatria rationali; Ill. Hirsch de historia medicinae et morborum; Ill. Juengken de chirurgia, de laesionibus corporis humani; Cel. Lauer de semiotice et de therapia generali; Cel. Lieberkuehn de osteologia et syndesmologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus; Exp. Meyer de pathologia et therapia speciali; Ill. Reichert de anatomia corporis humani, de anatomia cerebri, de anatomia comparativa, de embryologia, de histologia; Cel. Schoeller de arte obstetricia; Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia medica; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Ill. Virchow de anatomia pathologica, de pathologia generali, de tumoribus; Exp. Westphal de psychiatria.

Exercitationibus practicis me instituerunt: Cel. Boehm operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis; Beat. Ca
exercitationibus medico-forensibus; Exp. J. Meyer ausc
tatione et percussione; Ill. Reichert arte cadavera sec
et microscopio utendi; Cel. Schoeller operationibus
triciis; Cel. Troschel arte fascias applicandi;
arte cadavera secandi.

Clinicis interfui medicis Ill. Frerichs, Ill.
Cel. Traube; chirurgicis Ill. Juengken, Ill. de
beck; ophthalmiatricis Cel. Boehm, Ill. Jue
stetriciis Cel. Schoeller; syphiliticis et dermi
Baerensprung.

Quibus viris omnibus de me summopere meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam tentaminibus tam physico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

I. Princeps causa eclampsiae parturientium in morbo Brightii vertitur.

II. Dissectio nervi in prosopalgia reprobanda.

III. Non omnes morbos sanare licet.